

se diviserunt. Interrogatus de loco dixit quod fuit in Maiori Ecclesia Montis viridis. Interrogatus de tempore dixit quod sunt viginti quatuor anni. viginti tres. et sic descendendo usque ad nonumdecimum. § Item Interrogatus super quartodecimo. quintodecimo et sexto decimo articulis particulariter et distincte si vera sunt que continentur in eis. dixit quod sic. Interrogatus in causa scientie dixit quod vidit quod Ecclesia et Episcopi qui fuerunt pro tempore usi sunt pacifice et quiete omnibus predictis Iuribus a quatráginta annis citra usque ad obitum clare memorie domini Karoli qd. Ierusalem et Sicilie Regis. et vidit quoniam Episcopus Petrus predecessor ipsius Episcopi excommunicavit dominum Guillelmum Galardum. dominum petrum de hugot e dominam Marinam qui pro tempore fuerunt domini Montis viridis. eo quod turbabant ipsum et Ecclesiam in possessione ipsorum Iurium. et vidit quod predicti domini veniam postulantes Iuraverunt ad sancta dei Evangelia emendare offensas. et sic fuerunt absoluti ab Episcopo Memorato. et dixit quod de his omnibus est vox et fama publica in Civitate et dyocesi Montis viridis et Maior pars populi sic credit et sentit. Interrogatus de loco dixit quod fuerunt hec in Civitate et Territorio Montis viridis. et sententie late fuerunt in Ecclesia Maiori Montis viridis. et absoluciones in eodem loco. Interrogatus de tempore dixit quod de ipsis que continentur in quartodecimo articulo recordatur de quatráginta annis et citra descendendo ut supra. sententie vero late fuerunt a septimodecimo anno diversis temporibus usque ad quartumdecimum. § Petrus archidiaconus Montis viridis Interrogatus *etc.* dixit in primis sextis articulis Iddem quod donatus primus testis. excepto quod dixit se non recordari nisi de vigintis quinque annis. § Item Interrogatus super septimo. octavo. nono. decimo articulo *etc.* de causa scientie dixit quod vidit quoniam Episcopi vel eorum procuratores recipiebant vassallos huiusmodi de novo venientes